

tamenti pollutum ducere, quod fit, cum bona Christi sanguine parta negligimus, dissipamus, contemnimus, indigne accipimus.

Atque hæc erit æstimatio, hoc pondus peccatorum in cælo : quod figurate designabat pondus sicli sanctuarii, seu sicli sancti, qui asservabatur in templo, et cujus ponderi respondere debebant omnes sicli, qui offerebantur a singulis capitibus, juxta id Lev. ult. *Omnis æstimatio sicli sanctuarii ponderabitur.* Quia enim sicli communes justo pondere communiter carebant, ideo ad siclum sanctum justissimi ponderis, omnes qui offerebantur sicli, debebant examinari. Sic in Capitolio servabatur amphora, mensura reliquarum, de qua Priscianus :

Amphora fit, cujus vim non violare liceret,
Sacravere Jovi, Tarpeio in monte, Quirites.

Ad hæc confirmanda videri possunt exempla Stephani monachi rigidissime sub obitum de vita transacta examinati, apud Climacum, grad. VII. Sancti Henrici post mortem appensi in statera et ope S. Laurentii servati, in ejus vita. Primus tamen sanctus erat, ut leopardum ferocem secum quasi catellum aleret mitissimum : posterior, ut cum conjuge virgine virgo sancte vixerit.

Denique, serio et sapienter quidam, qui in vita stultus fuerat, post mortem domino suo apparens et de statu interrogatus, respondit: *Rigide computatur, et nihil remittitur.* Refert p. Joannes David, in verid. Christi, c. XCIII.

Quid ergo faciemus, auditores? « Unum est, ait S. Bernardus, serm. LV. in Cant. si nosmetipsos dijudicaverimus, non utique dijudicabimur (I. Cor. XI.) Bonum judicium, quod me illi districto divinoque judicio subducit et abscondit. Prorsus horreo incedere in manus Dei viventis, volo vultui iræ judicatus presentari, non judicandus, judicabo proinde mala mea, judicabo et bona. Scrutabor vias meas et studia mea, quo is qui scrutaturus est Jerusalem in lucernis, nihil inscrutatum in me sive indiscussum inveniat. Neque enim judicaturus est bis in idipsum. » Hæc Bernardus.

CONCIO VII.

STYGI CARCERIS ÆTERNITAS DESCRIBITUR VARIIS
DE CAUSIS MISERRIMA.

I. Omni exitu et spe liberationis caret. — II. Totius æternitatis pondus simul incumbit damnatis. — III. Perpetuam tormentorum continuationem habet sine interruptione. — IV. Vitam reddit tædio et fastidio plenissimam. — V. Locus est desertissimus. — VI. Spectaculum est beatis.

THEMA.

Iratus dominus tradidit eum tortoribus quoadusque redderet universum debitum. Matth. XVIII.

In Messene, Græciæ civitate, carcerem fuisse scribunt subterraneum, aura et luce omni destitutum, plenum stygi horrores. Nullæ ei fores erant, sed reus per funem demissus, immani claudatur saxo. *Thesaurus* illi nomen erat, in quem magnus ille Græciæ imperator Philopæmen reconditus est, ibique veneno vitam finiit. Carcer hic, auditores, imago quædam est stygi illius carceris, in quem magnus ille debitor, decem millium talentorum, compactus esse describitur in hodierno evangelio. Quia enim tantum debitum nunquam poterit solvere, in carcere præsertim; nunquam inde liberabitur per omnem æternitatem. Unde Divus Chrysostomus, hom. VI. in hunc locum : *Ad perpetuitatem eum supplicii tradidit, inquit, nunquam enim inde rediturus est.* Recte etiam carcerem illum *thesaurum* appellamus; tum quia ibi recondit Deus ingentium debitorum reos, imo insolubilium; tum quia tam profundo et abdito loco, ut erui non possint; tum denique, quia ibi thesaurum iræ suæ conditum habet, quo omni penarum genere solvit debitores suos; uti legimus Jer. L. *Aperuit Dominus thesaurum suum* (justitiam vindicativam, quam maxime exerit in inferno) *et protulit vasa iræ suæ, necnon Rom. II. Thesaurizas tibi iram in die iræ.* Porro hujus carceris pœnas et horrorem alibi examinavimus: videamus nunc æternitatem ejus, variis de causis miseriam.

I. Prima hujus æterni carceris miseria est, quod omni liberatione omnique exitu careat et fine. Durabit ergo non longissimo solum tempore, (quod perperam sensit Origenes; eo quod Scriptura interdum longissimum tempus vocet æternum) sed vere absque ullo termino, quamdiu Deus erit Deus, et quamdiu beatorum durabit vita et felicitas. Ita enim clare loquitur Scriptura plurimis in locis, uti Matth. III. *Paleas comburet igni inextinguibili, et c. XXV. Ibunt hi in suppli-*

cium æternum, justi autem in vitam æternam. Sicut ergo horum vita erit æterna; ita supplicium illorum æternum: rursus, Isa. LXVI. *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur.* Quam sententiam Christus, Marc. IX. ter repetit; ut propriam, non metaphoricam locutionem esse sciamus. Stupenda quidem et miranda res, ignem illum nunquam extingui: et inferos in eo semper uri, nunquam exuri: sed facile est Deo utrumque hoc efficere; quod imprimis discere possumus ex natura. Producit natura asbeston lapidem, in Arcadiæ montibus, sic dictum, quod semel accensus, sit inextinguibilis, ut tradit D. August. l. XXI. de civit. c. V. Solinus, c. XII. Plinius, l. XXXVII. c. X. Isid. l. XIV. c. IV. qui addit in templo quodam Veneris constitutam fuisse lucernam ex asbesto ardentem, quæ nec imbrium, nec ventorum vi potuerit extingui. Producit etiam natura linum incombustibile, ideoque vivum appellatum ex quo confectæ telæ, si igni injiciantur, pulchrius abluuntur et splendescunt, quam si aquis lavarentur, ut scribit Plinius, l. XIX. c. I. qui addit, regum inde funebres tunicas factas, ut combusti corporis favillam continerent, et ab aliis cineribus separarent. Tradunt etiam plurimi salamandram, rigidissimæ naturæ animal, sine noxa in igne vivere. Monstrat ergo vel natura argumentum aliquod æterni ignis, qui nunquam extinguetur: semper uret, nunquam exuret inferos.

Jam vero quis animo concipere queat, quanta et quam longa sit hæc æternitas? Dicat mihi aliquis, quamdiu regnaturus sit Deus et sancti cum eo in cælo: et dicam ei quamdiu in inferno cruciandi sint damnati. Illud ss. litteræ hunc in modum explicant: *Dominus regnabit in æternum et ultra, Exod. XV. et rursus: Ambulabimus in nomine Domini Dei nostri in æternum et ultra, Mich. IV.* Quid vero est ultra æternum? Volunt dicere propheta, nullam concipi posse durationem tam longam, ultra quam se non extendat æternitas. « Quasi dicat Moyses, inquit Origenes, in Exod. Putasne in sæculum sæculi Deum regnaturum? Regnabit adhuc, vel ultra, et quodcumque dixeris, illud de regni ejus spatiis semper tibi propheta dicet: Et adhuc sive ultra. » Concipe igitur mille milliones annorum: patientur inferi adhuc et ultra, quia restabit adhuc tota æternitas. Cogita totum oceanum inferis exhaustiendum et quidquid aquarum est in mundo, ita tamen, ut post singulos mille annos unicum dumtaxat guttam auferant, quantum istud temporis spatium erit? Sed nihil respectu æternitatis est; quia patientur adhuc ultra. Cogita omnes arenulas, quotquot sunt ad littora maris et in

toto mundo, inferis asportandas et in mare proiciendas, ita tamen ut singulis mille annis unicum arenam tollant: quis hoc comprehendere spatium queat? Sed nihil istud est, patientur adhuc ultra. Cogita ad firmamentum usque (quod a terra distat 80. millionibus miliarium et medio) inferis ascendendum, ita tamen ut singulis mille annis unum passum, non plures, facere debeant; quantum insument tempus? Sed nihil hoc, patientur adhuc ultra. Si bis mille annis viveres, et quotidie in altum directe ascenderes ad 100. miliaria, ac continuo quidem: post mille annos nondum pervenires ad concavum firmamenti; quia conficeres primum 73. milliones. Quando igitur illuc perventurus esses, si non quotidie centum miliaria, sed singulis mille annis unum facere passum deberes? Et tamen nihil hoc ad æternitatem, quia plus ultra se extendit? Ineffabilem lætitiâ inferis nuntiares, si diceres, vel post dictum illud itineris spatium, cælum ipsis reserandum. Sed heu, neque hoc sperare possunt. O æternitas, quam longa es! Sed jam demostremus, eam quodammodo se ipsa adhuc longiorem esse, ex ejus proprietatibus.

II. Secunda ergo illius carceris miseria est, quod immani saxo claudatur et quodammodo prematur. Saxum vero hoc nil aliud est, quam immensum illud pondus totus æternitatis, quod sustinent damnati: dum simul patiuntur totum id, quod in æternum patientur. Æternitas enim uti bonum, quod affecerit, infinite melius efficit: ita etiam malum: primo, ratione durationis, quia tribuit ei infinitam durationem adeoque infinitum esse, ac per consequens infinite melius vel pejus esse. Quis enim nescit voluptatem unius anni pluris æstimari voluptate unius horæ? Ustionem unius anni acrius sentiri ustione unius horæ? Secundo, ratione collectionis illius boni vel mali; quia æternitas colligit totum id bonum vel malum in unum, et simul percipi ac gustari facit; velut si omnes cupediæ et deliciæ lautî convivii simul uno bolo vel haustu sorberentur, ut docet Lessius, l. IV. de Pers. div. c. III. Atque hoc est *talentum* illud *plumbi*, seu, ut est in Hebr. *lapis plumbi*, quo oclusa fuit amphora, in quam projecta prius mulier erat, designans impietatem, Zach. V. Amphora namque illa infernum: impia mulier damnatos: talentum vero plumbi amphoræ os claudens, pondus æternitatis denotat, quo opprimuntur inferi et undique clauduntur, ut manifeste videant, nullum sibi patere exitum per omnem æternitatem. Adumbrarunt hoc idem gentiles apud Virgil. lib. VI. Æneid. in quorundam sceleratorum ad inferos damnatorum supplicio, quo immi

nens sibi saxum, omni momento casurum super se metuebant :

*His quibus atra silex jamjam lapsura, cadenti
Imminet assimilis, etc.*

Quid enim ista rupes imminens damnatis ac quodammodo jam incumbens, nisi totius æternitatis immensa duratio semper animo apprehensa, semper premeas cogitationem, ita ut tolerari ac sentiri debeat omni momento, quod infinitis retro sæculis tolerandum ac sentiendum est? Et si timor supplicii magis plerumque affligit animum, quam supplicium ipsum (unde quidam dixit: *Pejor est bello,*) quid erit obsecro, omni momento degustare pœnas per omnem æternitatem sustinendas? Quid expectare semper alias et alias?

III. Tertia, illius carceris æterni calamitas est, quod omni aura aerisque ventilatione subinde aspirante careat. Hæc autem in inferno est perpetua tormentorum continuatio, sine omni eorum interpolatione aut miserorum respiratione, uti testatur S. Joannes, Apoc. XIV. dicens: *Fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum: nec habent requiem die ac nocte, qui adoraverunt bestiam.* Cum fumus magnus ut in sublimem effertur aerem, signum est valde æstuantis incendii; quia igitur, teste Joanne, fumus a carcere igne semper ascendet in sæcula sæculorum: hinc facile credi potest, quod subjungit: *Nec habent requiem die ac nocte.* Qui sub torrida zona degunt, interdum quidem uruntur maximis solis ardoribus, noctu tamen refrigerantur ejusdem absentia. Qui morborum vi premuntur, subinde habent intervalla, quibus remittit dolor, qui in carceribus torquentur, quandoque a tormentis liberi sunt et cibo ac somno refocillantur. At qui in gehennæ carcere sunt, nullam unquam requiem, nullum refrigerium, nullum levamen habent in sæcula sæculorum. Quidquid apud inferos est, æternum est, quemadmodum et ipsi æterni et immortales erunt: carcer æternus, vermis conscientiam rodens æternus, ignis æternus, sententia judicis ultima, illum succendens, æterna et immutabilis, de qua Isa. c. XXX. ait: *Flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam,* (tophet seu gehennam.) Sicut ergo ventus excitat atque exstimulat perpetuum Æternæ incendium: ita sententia et decretum damnationis, sine omni cessatione succendet ignem inferni, non secus ac si torrentem sulphuris continuum ac perennem expueret in illum. Quid quæso magis horrendum concipi mente potest? Quam molesta est fabricanti sitis et paulo diu-

CONCIO VII.

turnior abstinencia a frigida? Quam molesta alius perpetua vigilia et somni fuga? Aliis continua dolorum intensio? Audivi sæpe dicentes ægros: O si vel semel ad libitum sedare sitim meam possem! Si vel una nocte dormire! Si vel ad horam ab his doloribus liberari! Quid non expenderem! Quid non libenter postea sustinerem! Mori non abnuerem. Et quantum est hoc ad paucos aliquot dies cruciari siti, insomniis, doloribus? Neque enim hæc diu in hac vita continuari possunt. Quam molestus est nobis sæpe calor æstivus? Ut languemus! Ut anhelamus! Ut tabescimus! Vestes exuimus, lecti operimentum excutimus, huc illic nos vertimus ac revertimus; quia urit lectus, sed reperimus tamen subinde spatium aliquod lecti subfrigidum: reperimus umbras, in quibus requiescimus: flat quandoque aura lenis, quæ refrigerat anhelos. Sed nihil horum sperari potest in incendio gehennæ. Non ibi aura suavis, non frigidulus vesper, non ros matutinus, non umbra vel tantillum spatium. Bene hoc cognovit, qui Ps. LXVI. ait: *Etenim sagittæ tuæ transeunt: vox tonitrui tui in rota.* Fames, sitis, ærumnæ, morbi, mors, adversa denique omnia, quæ in sæculo nos premunt, Dei sagittæ sunt, alatae sunt et transvolant ab uno ad alterum: at vero vox tonantis judicis rotam æternitatis, qua torquentur inferi, perpetuo circumaget, non secus ac si pulvere tormentario inconsumptili stipata foret. Et semper gy-rabitur, nunquam interquiescet, quia vox illa judicis perpetuo tonabit, eamque circumaget.

IV. Quarta, illius carceris miseria est, lucis omnis absentia, hoc est, vita tædio, fastidio et horrore plenissima, quæ idcirco æternitatem illam magis adhuc quodammodo extendit, facitque ut ibi spatium horæ correspondens longius esse damnatis videatur, quam sint hic multi dies aut hebdomades. Fatentur passim ægri, qui per hiemem tota nocte insomnes jacent, unam noctem videri sibi instar trium: numerant omnes horæ quadrantes, quos integris horis longiores existimant. Idem experiuntur cæci et qui in diuturnis tenebris sedent; adeo amicium lumen est, ut tempus omne corripit, adeo odiosæ tenebræ, ut tempus omne producant et decuplo longius faciant. Ratio, quia in luce peregrinantur quodammodo oculi, et una cum ipsis mens de uno objecto in aliud: et ita nova semper et nova cum summa delectatione vident: at in tenebris hæret animus eodem fere in objecto semper, aut in nullo prorsus, quia nihil incurrit in oculos; inde vitæ tædium. Hinc psalmista testante, Ps. LXXXIX. *Mille anni ante oculos Dei, tamquam dies hesternæ, quæ præterit,* q. d. qui nobis in hac

vita sunt mille anni, ii Deo et beatis in cælo, sunt quasi una dies; adeo jucunde transfiguntur. Confirmat eam rem spec. exemp. dist. IX. c. LXV. mira quadam et pene incredibili historia, quam tamen p. Franc. Cost. veram se comperisse asserit, ut quæ revera contigerit in monasterio Affligimensi ordinis S. Benedicti, quod in Belgio situm est inter Bruxellas et Alostum, sicut refert Corn. a Lap. II. Jac. c. III. Eam vero sic refert auctor speculi. « Legitur in libro exemplorum, quod fuit quidam monachus, quilegens in matutinis cum aliis fratribus: Mille anni ante oculos tuos tamquam dies hesternæ quæ præterit, miratus est nimis quomodo illud esset possibile. Erat enim sanctus et devotus valde. Post matutinas ergo mansit in choro in sua devotione, ut consueverat, et petivit sibi illum versum revelari a Deo, et incepit discere, et cum staret, avis pulcherrima ante oculos ejus volavit et avolavit. Sequebatur eam, quia totus fuit intentus ad visionem ejus. Tandem volavit extra ecclesiam, tamen semper prope ipsum ut posset videri, et ita prope ut posset apprehendi. Tandem deduxit eum extra claustrum, et ulterius deduxit eum ad unum nemus, quod fuit ante claustrum magnum et spatiosum valde. Et ibi monachum illum detinebat per dulcem melodiam per trecentos annos nunc avolando, nunc appropinquando, quousque omnes monachi dieti monasterii essent defuncti, et præ dulcedine cantus dictæ avis non esurivit, nec sitivit, nec comedit, nec bibit: postea avis avolans monachum dimisit. Statim monachus ad se reversus monasterium suum petiit, quia prope erat, putans se eadem nocte post matutinas recessisse. Jam erat hora tertia ut sibi videbatur, et se petivit intromitti. Dixit portarius, quis esset? Qui dixit: Sum sacrista istius monasterii, qui post matutinas egressus sum. Portarius putans eum delirum, non cognovit eum omnino, tamen requisivit ab eo nomina fratrum, scilicet abbatis, prioris, et cellarii. Recitavit ergo nomina eorum qui erant temporibus suis, et portario omnino incogniti erant. Et admirans monachus, quod non intromitteret eum, et simularet se nescire nomina fratrum, petivit, ut duceret eum ad abbatem. Ductus autem ad abbatem, nec ipse cognovit abbatem, nec abbas e converso eum. Et inquisivit abbatem de prædecessore suo, et sic inventum fuit, quod abbas ille cum aliis, quos nominavit, ante trecentos annos esset defunctus. Tunc ostendit abbati, et omnibus fratribus quid Deus secum operatus est per tot annos in eremo per avem et illum versiculum: Mille anni, etc. et de gaudio paradisi, et tunc

ipsum in fratrem receperunt, qui statim sumptis sacramentis ecclesiasticis, dulciter obdormivit in Domino, et ad gaudia vitæ æternæ pervenit. » Non difficillime assentiri huic sententiæ debemus. Si enim cum jucundos agimus dies, cum conviviis intersumus, cum spectaculis, ludis et jocis vacamus, tempus nobis imminui et brevissimum fieri querimus: quomodo hoc non multo magis continget in cælo beatis? Jam ergo a contrario, quomodo non in tartaro productior fiet æternitas ob perpetuas tenebras, fœtores, horrores, dolores? Credo sane quod scribit theodidactus ille Thomas de Kempis, l. I. de imit. Christi, c. XXIV. *Ibi erit una hora gravior in pœna, quam hic centum anni in amarissima pœnitentia.* Non erunt quidem inferi omni modo cæci aut tenebris involuti: sed videbunt circa se objecta aliqua; non alia tamen, nisi quæ horrorem et terrorem, tædium et nauseam ingerere ipsis possunt: uti suos amicos et propinquos, socios scelerum et pœnarum, terribilia dæmonum spectra, vermes, ignem et sulphur. Et quæ illis afflictio erit, perpetuo ista cernere et coram se habere? Quod si Hebræi olim dulcissimi illius mannae nauseam ceperunt conquerentes: *Anima nostra arida est* (q. d. *nauseat*, ut aiunt, Num. XXI.) *nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi man,* Num. XI. Quæ nausea, quod fastidium occupabit inferos, qui circa se non selectum et celestem cibum, sed meros dracones, bufones, serpentes, dæmonum larvas, charorum suorum pœnas cernent? Hebræi illius mannae fastidium secundo statim anno ceperunt, ut ostendit Corn. a Lap. Nu. XI. § I. Quis ergo explicabit nauseam quam multas annorum myriades de suis illis miseriis capient damnati? Quam illi, ut sic dicam, numerabunt horas, minuta, momenta horarum! Quantopere conquerentur de mora æternitatis, quod non fluat instar temporis, sed perpetuo stet et moram trahat, instar rupis quæ nullis moveri viribus potest.

V. Quinta, hujus carceris molestia est, quod subterraneus sit, ab omni hominum viventium conspectu remotissimus, desolatissimus, desertissimus; utpote in intimis terræ visceribus, ubi perpetua oblivione sepulti, a nemine audiri, licet immensis clamoribus aliorum opem implorent, vel juvari possunt inferi. Quæ sane nova et ingens æterni illius carceris miseria est. Quis enim nescit solatium aliquod miseris esse, cum vident suas miseras alii constare, suas lacrymas et lamenta audiri? Hinc enim afflicti non nihil se sublevare putant, cum suas afflictiones conqueruntur aliis. At cum quis hoc non potest, aggravari sibi afflictionem supra modum sentit.

Apud Persas extitisse ferunt carcerem, cui *lethe*, seu *oblivio* nomen; quod ibidem vincti procul ab hominum commercio et quasi in oblivione essent, vix unquam redimendi. Hujusmodi carcer gehenna est, ita enim Deus damnatorum obliviscitur, ut eorum nunquam recordetur amplius ad gratiam impertiendam. Similiter et sancti non exaudiunt eorum lamenta, nec aspiciunt lacrymas commiserationis oculo; unde Abraham ad epulonem dixit: *Inter nos et vos chaos magnum firmatum est, ut hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possunt, neque inde hac transmeare*, Luc. XVI. Dixit istud Abraham, cum adhuc in limbo detineretur, qui inferno imminabat; et tum quidem audiit lamentantem epulonem, sed non ad votum ipsius. Quod si tunc inter limbum et infernum chaos magnum fuit, quis metietur chaos, quod inter inferos est et superos? Inter cælum et infernum? O chaos metuendum! Quam procul o gehenna distas a cœli incolis? Sedecia regi vaticinatus est Deus per Jeremiam abductionem in captivitatem et interitum in eadem, et quidem istis verbis: *Ibi erit, donec visitem eum*, Jer. XXXII. At nunquam visitavit eum, sed dereliquit in Babylone, donec periret ac moreretur. Hujusmodi carcer gehenna est. Ibi erunt captivi, qui eo abducti fuerint, donec Deus visitet eos. Sed quando tandem visitabit? Quando eorum recordabitur? Nunquam, nunquam. Ibi peribunt, sed sine interitu: morientur, sed sine morte. Non est via, non est transitus de cœlo ad infernum.

VI. Sexta, hujus carceris molestia, quæ longiorem facit æternitatem ejus, est quod superne pateat superis inspectoribus, non quo miseris opem aut solatium afferant, sed quo eorum pœnis oculos suos, eorum lamentis aures suas pascant, et tormentum illis conduplicent. Non est minima acceptæ injuriæ compensatio, videre inimicum suum sub pedibus, videre eum in tormentis, injuriæ pœnas dantem; quemadmodum nec minima, sed ingens pœna est, subijci inimico, et suis suppliciis spectaculum exhibere. Quam hoc sensit Samson, cum effossis oculis Philisthæorum, hostium suorum capitulum, ludibrium fieri debuit, et ante eos ludere? Inde enim tam ferventer oravit: *Domine Deus, memento mei, et redde mihi nunc fortitudinem pristinam Deus meus, ut ulciscar me de hostibus meis, et pro amissione duorum luminum unam ultionem recipiam*, Judic. XVI. Tametsi enim ipse non vidit suos derisores, scivit tamen se ab ipsis derideri et videri (quemadmodum et inferi a superis). Saul ne a Philisthæis captus illuderetur, sibi ipsi vitam ademit, I. Reg. ult. Maximum igitur miseræ augmentum est, miserum esse in cons-

pectu hostium suorum. Id vero continget inferis: nec ad horam unam vel alteram, sed quamdiu ipsi in tartaro, beati in cœlo erunt. Ita enim expresse scribit S. Joannes, Apoc. XIV. *Cruciatibus eripiar: ciniphes quippe perfero, ut immortalem effugiam vermem: ignem vero sempiterni ardores supplicia perhorrescens*, in prato spirit. c. CXLI. Drithelmus ille apud venerab. Bedam, l. V. hist. Angl. c. XIII. postquam inferorum pœnas spectasset, ad vitam revocatus, diris modis ac tormentis seipsum exagitavit, et propterea objurgatus, semper id respondit: *Acerbiora vidi*, ut alibi recensimus. In die animarum, c. I. G. anachoreta quidam in vitis pp. lib. VII. XLIV. seipsum cogitatione damnare ad infernum solebat, quasi unus esset, dicens sibi: *Esto cum his, quibus dignus es! Istis post modicum annumeraberis*. Hoc ergo et nos, auditores, imitemur pro facultate nostra, includamus nos pœnitentiæ carceri, ne aliquando impœnitentes detrudamur ad æternum illum.

Hic est, auditores, hic est carcer ille stygius, hæc miserrimæ illius æternitatis miserrimæ conditiones, quæ æternitatem illam ex se alioquin interminabilem, multo adhuc faciunt longiorem. Viderunt hoc sancti viri, et idcirco ut hunc vitarent carcerem, temporales potius alios elegerunt carceres, tantaque facere ac pati maluerunt. Si imprimis Hieron. qui epist. XXII. ad Eustochium scribit: *Ille ego qui ob gehennæ metum tali me carcere (solitudinis asperæ) damnaveram, scorpionum tantum socius et ferarum*. Abbas Olympus cum cellam per exiguam incolet, quam et æstus impetebat et ciniphum aculeata turba, rogatus

qui in eo tanto tempore moraretur: *Libenter ista tolero*, inquit, *ut futuris cruciatibus eripiar: ciniphes quippe perfero, ut immortalem effugiam vermem: ignem vero sempiterni ardores supplicia perhorrescens*, in prato spirit. c. CXLI. Drithelmus ille apud venerab. Bedam, l. V. hist. Angl. c. XIII. postquam inferorum pœnas spectasset, ad vitam revocatus, diris modis ac tormentis seipsum exagitavit, et propterea objurgatus, semper id respondit: *Acerbiora vidi*, ut alibi recensimus. In die animarum, c. I. G. anachoreta quidam in vitis pp. lib. VII. XLIV. seipsum cogitatione damnare ad infernum solebat, quasi unus esset, dicens sibi: *Esto cum his, quibus dignus es! Istis post modicum annumeraberis*. Hoc ergo et nos, auditores, imitemur pro facultate nostra, includamus nos pœnitentiæ carceri, ne aliquando impœnitentes detrudamur ad æternum illum.

CONCIO VIII.

DOCUMENTA.

I. Magna Dei bonitas et clementia. — II. Magna vis humilitatis et confessionis. — III. Aliud est culpa, aliud pœna. — IV. Mira hominum inconstantia, et mutabilitas. — V. Hominum ferocia et credulitas erga homines. — VI. Remittendæ necessario injuriæ.

THEMA.

Sic et Pater meus cœlestis faciet vobis, etc.
Matth. XVIII.

Dicite, auditores, si quis rex bello nos impetiturus, præmoneret non solum de futuro adventu suo, verum etiam describeret nobis arma, quibus nos oppugnaret: indicaret etiam artem bellandi et modos, quibus ei resistere, omnesque ejus conatus eludere aut elidere possemus; quis istum regem non amicum potius quam hostem appellaret? Atqui hodiernum evang. manifeste nobis ostendit, ita nobiscum Deum agere. Nam asserit imprimis venturum aliquando regem cœli et terræ, et positurum rationes cum servis suis, adeoque etiam nobiscum: et quasi in prælium descensurum, prout olim etiam prædixerat per Joëlem, c. III. *In tempore illo cum convertero captivitatem Juda et Jerusalem, (i. e. cum in fine mundi convertero Judæos ad christianismum) congregabo omnes gentes, et deducam eas in vallem Josaphat, et disceptabo cum eis ibi*, Hebr. *judicio contendam cum eis*. Deinde, monstrat arma, quibus nos impugnare vult, duritiam et immisericordiam nostram, vindictæ appetitum et crude-

litatem, quam exercuimus erga proximum: *Sic et Pater meus cœlestis faciet vobis, nisi remiseritis unusquisque fratri suo*. Denique, monstrat artem sese defendendi, et iram Dei exarmandi, nempe misericordiam et injuriarum remissionem: non obscure indicans, qua clementia nos tractaverimus inimicos nostros, eadem nos aliquando tractandos esse ab ipso. Fatendum igitur est, quod alibi docuit Dominus, non esse voluntatem Dei, ut pereat unus homo, quantum videlicet in ipso est, Matth. XVIII. Et quod per Ezechielem dixit: *Nolo mortem morientis, revertimini et vivite*, Ezech. XVIII. Quod ut penitus inspiciamus, intremus penetralia hodierni evangelii, indeque depromamus, quæ ad nostram doctrinam faciunt.

I. Videte, quæso, quanta sit Dei bonitas et clementia, qui servo, non roganti nisi dilationem, remittit omne debitum et tam grande quidem. *Quantus amor!* inquit Chrysostomus. *Plus dat, quam petitur*. Hanc ergo liberalitatem et clementiam imitari decet divites et potentes, præsertim erga egenos et miseros, etiam inimicos. Nam ut ait Julius Cæsar, epist. ad Oppium, lib. IX. ad Atticum: *Hæc nova est vincendi ratio, ut munias te misericordia et liberalitate*. Nec dixit solum, sed et fecit; nam Bruto et aliis, qui contra se Pompeii partes foverant, ignovit: detectas etiam contra se conjurationes non aliaratione arguit, quam ut edicto ostenderet sibi esse notas. Alexandro Severo Mammæa mater et Memmia uxor nimiam regnandi clementiam improperabant, dicentes: *Molliorem tibi potestatem et contemptibiliorem fecisti*. Quibus ille: *Sed securiorem et diuturniorem*. Refert Spartianus. Præclara et vel christiano in homine laudanda vox. Id ipsum enim tradidit Salomon, Prov. XX. cum ait: *Roboratur clementia thronus ejus, (regis scilicet) Præclarissime et vere christiane sanxit Carolus Magnus, ut omnes domini clementer tractarent subditos: Scientes, inquit, fratres suos esse, et unum secum habere Dominum, ad quem clament omnes: Pater noster qui es in cœlis, in capitularibus Caroli Magni, l. II. c. LIX. Non dissimiliter Rudolphus imperator de sua clementia interpellatus respondit: Severum et immitem fuisse me aliquando penituit, lenem et placabilem nunquam, Aneas Sylvius, l. II. de ejus gestis. Nihil his inferior Alphonsus Aragonum rex, qui ob nimiam redargutus clementiam, etiam erga eos, qui ipsum offendissent: Malo, inquit, multos mea clementia et mansuetudine servare, quam paucos mea severitate perdere. Cumque in obsidione Cajetæ susceptis impuberibus, senibus, omnique sexu bellis inutili, quos Cajetani ob annonæ penuriam civilitate expulerant, quidam ei dixisset: Si tu hos non ad-*